This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lp 26.602.9

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

# QUAESTIONES PLAUTINAE.

# QUAESTIONES PLAUTINAE

## (II. AULULARIA)

SCRIPSIT

AURELIUS JOSEPHUS AMATUCCI

BARII
Sumptibus J. LATERZA ET F. Bibliop.
MCMVI

Lp 26.602.9



Constantius fecit

APRILE MCMVI 1352T

*Locos plautinos, ubi nihil aliud significavimus, ex* GOETZII *et* SCHOELLII *editione qui legunt allatos esse sciant.*

# I.

## De duobus *Strobilis*.

Si plautinarum fabularum qui exstant libris fidem habemus, in AULULARIA invenimus et Megadori et Lyconidis servo *Strobilum* nomen esse. Quam ob rem, cum Eunomia, Lyconidis mater Megadorique soror, post viri sui mortem in fratris domum migrasset, eodem servo quo avunculum in Graeca fabula Lyconidem usum esse Franckenius coniecit (1). Quam opinionem iam refutavit Ussingius (2); cui ne posse quidem fieri ut duabus huius fabulae personis idem sit nomen videtur, quod hac duorum nominum similitudine neque error aliquis ridiculus neque turbae, ut in MENAECHMIS, effici possint. Argumenta autem, quibus Wagnerus (3) contaminatam esse hanc fabulam do-

(1) Ed. *Aulul.*, p. XIV sq.

(2) II, 274: Quod ut in tenui re familiari fieri potuit, ita divitem hominem non est veri simile tam paucos servos habuisse ut idem avunculi atriensis et nepotis pedissequus esset, nec Lyconidis servus alium quam ipsum Lyconidem herum agnoscit aut ab alio libertatem sperat.

(3) *De Plauti Aulul.*, p. 26; ed. *Aulul.* (1901), p. 138.

cuerat, infirmissima esse Brixius (1), Reinhardtius (2), Ussingius (3), Goetzius (4) demonstraverunt. Huc praeterea accedit, quod vv. 363-370 ex librorum lectione *Pythodico,* alio Megadori servo, vel potius atriensi, tribuuntur, cuius personae nulla usquam alia hac in fabula fit mentio. Quibus rebus perpensis, Ussingius (5) verum nomen Lyconidis servo quaerendum et Megadori *Strobilo* vv. 363-370 adiudicandos esse affirmavit. Sed Goetzius (6) eidem servo, qui superiori scaenae interfuerit, II Actus VII Scaenae versus adsignari nullo modo posse censet, atque id novum firmissimumque arbitratur esse argumentum, quo hanc fabulam *retractatam* esse probetur (7). Cum enim in priore recensione Megadori servo *Pythodicus* nomen esset idque retractator in *Strobilum* mutasset, non tanta diligentia hunc usum esse suspicatur Goetzius, ut etiam post v. 362 vel illud nomen emendaret vel potius vv. 363-370 omnino deleret, nisi forte hi versus ex altera recensione sumpti serius additi sint. Sed

---

(1) in Studemundi *Stud.* I, 109.

(2) in Studem. *Stud.* ib.

(3) II, 274.

(4) *Act. Soc. philol. Lips.* VI, 311 sq.

(5) II, 275. Sensit etiam Ussingius (p. 274) fieri non potuisse ut quod idem histrio utriusque servi partes ageret, Plautus utrumque servum eodem nomine appellaverit.

(6) Ed. *Aulul.*, p. VIII: Namque si statuimus ex Euclionis domo eum exire — quod dissuadet v. 362 — dicere debuit: « ego intervisam quid faciant nostri coqui »; post v. 362 eum in platea remansisse qui putant illud « curate » non intellegent: ex Megadori denique qui progredientem faciunt vel maiores turbas excitant.

(7) *ibid.*: Diu est ex quo ad retractationem hanc rem spectare mihi videbar intellexisse, quam suspicionem eis quae modo dixi egregie confirmari censeo: *quod tamen Lyconidis servi nomen sollicitavi eis quae attuli refutatur.*

tamen, qua est sagacitate, sensit Goetzius consilii rationem, qua retractator in Pythodici nomine emendando usus sit, non apparere. Qua dubitatione deterritus neque in sua AULULARIAE editione (MDCCCLXXXI) neque in ea quam, Schoellio socio adsumpto, anno MDCCCXCIII (MCMII) emisit, quidquam de librorum lectionibus ad hoc pertinentibus mutavit. Dziatzkus (1) autem pro *Strobilo* in v. 264, 334, 351, 354 audacius substituendum esse *Pythodicum* statuit eiusque opinionem Leo (2) sequitur, cum Lindsayus, nomine Lyconidis servo omisso, pro *Pythodico* ante v. 263 *Strobilum* dubitanter reponat (3). Quae cum ita sint, paucis in primis de Goetzii sententia disserere atque retractationis quae ipse viderit, praeter servorum nominum perturbationem, vestigia diligenter perpendere volumus.

Plauto mortuo, plautinas fabulas centum fere annos histrionibus, qui ad arbitrium suum libidinemque retractaverint, obnoxias fuisse constat. Quae quidem histrionum exemplaria cum denique in grammaticorum litteratorumque hominum manus venissent, quingentos fere annos deinceps a scribis vel emendatoribus, plautini numeri et sermonis rudibus igna-

(1) *Rhein. Mus.*, XXXVII, 266 sq.
(2) I, 103: ad v. 280.
(3) I; ad vv. 363 et 587.

# QUAESTIONES PLAUTINAE.

# QUAESTIONES PLAUTINAE

## (II. AULULARIA)

SCRIPSIT

AURELIUS JOSEPHUS AMATUCCI

BARII
Sumptibus J. LATERZA ET F. Bibliop.
MCMVI

thias, et Pythion, quorum *prima syllaba longa* quidem est. Ex quo efficitur ut in versibus, quos supra memoravi, perfacile histrio haereret. Quin etiam in libello, quem mox editurus sum, perpaucos esse plautinos versus et fere omnes vel corruptos vel suspectos demonstrabo (1), in quibus pes quartus dactylum habeat prioribus syllabis paeonis primi (⏑⏑⏑–) effectum (cfr. v. 334). Sed ut in praesens investigationem meam intra AULULARIAE terminos coërceam, nullum (2) versum hac in fabula me repperisse dico, qui quarto loco eiusmodi dactylum nobis praebeat, nisi forte v. 490 ita legere malumus:

Dotátae si istud iús pauperibu' pónitur (3)

quod omnino fieri posse negamus (4).

In plautinis et terentianis fabulis emendandis primum enitendum esse puto ut numeros inaequales et varios potius eiciamus quam inducamus, quod mihi nullo modo persuaderi potest poëtas scaenicos ver-

---

(1) Quarti pedis senarii versus in plautinis fabulis (*Revue de phil.* XXIX, 205 sqq.) ac terentianis (XXX, 31 sqq.) diligenter perpendit C. RAMAINIUS.

(2) Afferri non potest v. 348: Horúm tibi istic níl euenlet: quíppe qui.

(3) H. v. autem haud certae lectionis est: *Dotata es* vel *est istud ius* libri.

(4) Vid. WAGNER. *Aul.* ed. p. 30 sq. (1901).

sus fecisse, quos propter crebras numerorum inaequabilitates et spectatores aegre auribus perciperent et histriones haud facile memoriae mandarent (1). Tum magis curandum est ut aperta, perspicua, dilucida sint et verba et sententiae. Quod sane *Pythodicum* pro *Strobilo* reponens neutiquam consecutus est Leo. Contra enim illud « curate » v. 363, vel *Pythodico*, vel *Strobilo* tributum, eadem quae Goetzius dicere possumus (2). Atqui retractatam esse hanc fabulam aliis argumentis confirmari non posse docuimus. Ita meo quidem iudicio necesse fit ut, antequam Goetzii sententiam comprobemus, experiamur si aliter his difficultatibus mederi possimus.

Quis est tam plautinarum rerum rudis qui ignoret (3), quot et quales personarum nomina in Plauti libris peregerint vices? At ego ab eiusmodi errore, Ambrosiani palimp. ope in CASINA sublato, exemplum sumam. Cum enim huius fabulae cetera personarum

---

(1) Ad has minime pertinent inaequalitates illae, quae ex litteris in quotidiano sermone neglegentius obscuratis aut valde dilatatis proficiscantur. Quae inaequalitates ipsae quidem leges firmae stabilesque sunt.

(2) In remedio ad hanc difficultatem a MICALELLA quesito (p. 10: Ammettendo che questo servo sia lo stesso della scena precedente, non è necessario supporre che esso dica *Curate*... uscendo dalla casa di Euclione, al che davvero contraddirebbe il v. 362, come nota il Goetz, ma basta supporre che egli gridi *Curate*... dalla scena a Stafila e ai cuochi che entrano in casa di Euclione, e poi si volga per entrare in casa del padrone Megadoro) minime acquiescere possum et quod supervacaneum atque inutile esset vocabulum « *curate* » et quod mirum est tum Megadori servum « curate » exclamasse, cum *Staphyla* et coqui Euclionis domum ingrederentur.

(3) De hac re, qua sua est doctrina, nuperrime LINDSAYUS disputavit (*Ancient ed.* p. 88 sqq.) — Vide etiam quae PRESCOTTIUS scripsit in *Harvard Studies*, IX, 102 sqq.

nomina Graeca sint, legitimis formis tradita et pleraque aliunde nota, senex in nonnullis (1) scaenarum titulis Palatinorum librorum appellatus est *Stalitio* vel *Stalicio*. Quod nomen ex duorum versuum errore ortum esse docuit Studemundus (2), et verum e titulis Ambrosiani palimp. restituit (3). Etenim in vv. 959-960 qui in A ita extant

Hác dabo protinam ét fugiam. Heus STAILICO, amator

P *Heus stalicio* habet, unde facile nomen « *Stalicio* » ortum est, praesertim cum hic error confirmatus esse versu 347 videretur:

Non égo istud uerbum émpsim titibillício (*tit tibi [stalitio* P).

Quae omnia cum diu mecum meditatus essem non dubitavi, quin gemino errore *Aulularia* laboraret, quem facilius emendaremus, si etiam in A haec exstaret fabula. Sed quoniam ad vv. 362 sqq. sanandos, antequam ad solitum quorundam philologorum auxilium confugiamus et *retractatam* hanc fabulam esse dicamus, aliqua coniectura adhibenda est, ita totum locum (vv. 349-370) ad hunc modum emendari posse censemus:

---

(1) *Ex. gr.* II, 3: Stalitio, Senex. Mulier Cleos.

(2) *Em. pl.* (*Greifsw.* 1871-72), p. 6.

(3) Cf. Ritsch., *Opusc.* III, 321 sq. — De nominibus « *Lampadio* » et « *Lampadiscus* », quae in Cistellaria alternis occurrunt, cf. Studem., *ibid.*; Linds., *ibid.*

## STROBILUS. STAPHYLA. CONGRIO.

**Str.** Heus, Staphyla, prodi atque ostium aperi.
[**Sta.** Qui uocat?
**Str.** Strobilus. **Sta.** Quid uis? **Str.** Hos ut accipias
[coquos
tibicinamque opsoniumque in nuptias.
Megadorus iussit Euclioni haec mittere.
**Sta.** Cererin, Strobile, has sunt facturi nuptias?
**Str.** Qui? **Sta.** Quia temeti nihil allatum intellego.
**Str.** At iam adferetur, si a foro ipsus redierit.
**Sta.** Ligna hic apud nos nulla sunt. **Co.** Sunt asseres?
**Sta.** Sunt pol. **Co.** Sunt igitur ligna, ne quaeras foris.
**Sta.** Quid, inpurate? Quamquam Volcano studes,
cenaene caussa aut tuae mercedis gratia
nos nostras aedis postulas comburere?
362. **Co.** Hau póstulo. **Str.** Duc ístos intro. *Fí óbse-*
*[quens.* —
363. **Sta.** *Curábo.* **Str.** Ego interuisam quid faciánt
[coqui;
quos pol ut ego hodie seruem cura maxuma est.
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cenam coquant:
ind' coctam susum subducemus corbulis.
Si ipsi autem deorsum comedent si quid
[coxerint,
superi incenati sunt et cenati inferi.
Sed uerba hic facio, quasi negoti nil siet,
rapacidarum ubi tantum siet in aedibus.

Nos igitur nomen huius *Strobili* integrum relinquendum, Scaenam septimam cum sexta permiscendam, vv. 362 et 363 parce mutandos esse putamus. Hos versus omnes fere editores ita proferunt:

362. **Co.** Haud póstulo. **Str.** Duc ístos intro. **Sta.** Sé-
[quimini.

**PYTHODICUS.**

363. Curáte: ego interuísam quid faciánt coqui *etc., etc.*

Cum libri *Strobilum* praeberent, *Congrionis* personam pro *Strobili* Acidalius et Pistoris induxerunt, qui etiam *Strobilum* ante *Duc istos intro* addiderunt, cum in BD spatium tantum esset et JFZ omnino omitterent personae notam. Nomen servi insequentis Scaenae est FITODICVS in BJ, unde *Pythodicus* Merula traxit, sed omisit sine spatio D. — *Curate* est in B *CVRate;* in D *ur ate* cum spatio.

Primum *flobsequens* STAPH. (1), ordinatim *flodsequens.* STAPH.; — *flodsequem.* STAPH.; — *flod sequimini* STAPH.; — legitime fieri potuit; demum in STAPH. *Sequimini* FITOD (2) emendatum. Quantum autem et quomodo vv. 362 et 363 ita emendati et cum vv. 351-

(1) CURC. 87: Sequere hac, Palinure, me ad fores, fi mi obsequens. PERS. 38: Age fi benignus: subveni.

(2) In v. 87 CURCULIONIS: *fi mihi obsequeris* F. et in v. 38 PERSAE: *sed benignus* $P^{CD}$ ex *sei benignu's* (LINDSAY., ad. h. v.).

361 et cum vv. 364-370 cohaereant non opus est multis argumentis docere. Cum enim *Staphyla,* qua est loquacitate, diutius cum *Congrione* altercetur, *Strobilus,* qui domum redire festinat, eam interpellat minimeque protervam esse *(fi obsequens)* monet. Quae cum ita sint, quis, *curate* in *curabo* emendato, Scaenam sextam usque ad v. 370 continuandam (1) et *Strobilo* verba *Ego interuisam — in aedibus* tribuenda esse negaverit?

Restat tamen ut de alterius Strobili nomine aliquid excogitemus. Qua quidem in re aliqua ex parte recte Ussingium (2) et Bretonium vidisse censeo (3). Hic enim cum quotiens in versibus ipsis Lyconidis servi nomen exstaret, totiens corruptum libros nobis id praebere, conspexisset (4), hoc non alterum emendandum esse confirmavit. Ussingium et Bretonium igitur libenter secutus huius servi nomen quaesivi non similium litterarum solum sed etiam eiusdem mensurae. Difficile quidem res est, sed « STRABELUS » hoc nomen esse posse suspicor. Quod si omnia fere personarum nomina apud Plautum et ceteros comoediarum scriptores, et Graecos et Latinos, earum vel naturis, vel moribus, vel officiis, vel partibus re-

(1) De librorum erroribus in scaenis distribuendis cfr. LINDS. *A. ed.* p. 88 sqq.

(2) Cfr. p. 8.

(3) P. LE BRETON, *Quelques observations sur l'Aulularia de Plaute,* p. 21.

(4) V. 697 *Strolidum* E; 804 *strolum* (*bo* s. *ol* m. 2) B; *strolum* E; in v. 812 *strobilum* male additum esse (BD) docuit Brixius (*Neu. Jarb.*, XCI, 58).

spondent, non dubitandum est quin optime Megadori servus (1) « turbo (στρόβιλος) », Lykonidis (2) « cochlea (στράβηλος) » appelletur.

Quin etiam si quis versu 628:

⟨I⟩ foras, *lumbrice,* qui sub terra erepsisti modo

aliquid tale Plautum significare voluisse arbitretur, non infitiar, nec Graecum στράβηλος (3) aliqua ex parte hanc imaginem ei subiecisse omnino negem. Multa autem virorum (4) et mulierum (5) nomina Graecos ex beluarum nominibus derivasse nemo est qui ignoret. Neque vero meo quidem iudicio est mirandum quod hoc nomen aliunde non noverimus, cum et alia personarum nomina in latinis fabulis eadem difficultate laborent, ut *Staphylae,* verbi causa, huius fabulae anus (6).

Ut autem omnia brevi comprehendamus ex illis quae nobis disputata sunt efficitur

*a)* AULULARIAM ne retractatam quidem fuisse;

*b)* facile nos posse erroribus a grammaticis et scribis in vv. 362 sq. conflatis mederi;

*c)* Lyconidis servo nomen esse quaerendum;

*d)* huic servo *verisimile* esse Plautum STRABELUM nomen dedisse.

---

(1) Cfr. vv. 264, 280-282, 364-370.
(2) Cfr. v. 605 sq., 666, 678-681, 705-712.
(3) SOP. fr. 299 *(cochlea?):* cfr. SPEUSIPP. apud ATHEN. p. 86 C.
(4) FICK, *Die griech. Personenn.* p. 314 sqq.
(5) BECHTEL, *Die Attischen Frauennamen,* p. 108.
(6) Σταφυλίς tantum est in inscript. ex Amorgo (*Mitth.* XI, 97). Cfr. *Adelphasium* (POEN.), *Astaphium* (TRUC.), *Grumio* (MOST.), alia.

II.

## De interrogationibus obliquis apud Plautum.

Nemo est qui in omnium populorum sermonibus *hypotacticon* quem appellant usum ex *paratactico* ortum esse neget. Quod etiam in Latino sermone factum esse cum multi viri docti (1) tum noster Cocchia (2) maxime probaverunt, neque nobis in animo est eorum sententias refellere. Eo contra inclinat animus ut probemus populum Romanum *natura* propensiorem ad posteriorem quam priorem loquendi formam fuisse et haud verum perspexisse qui priscos Romanorum scriptores, omni discrimine remoto et sublato, aeque utraque verborum structura usos esse et illa hominum litteratorum propria et hac ad sensum popularem vulgaremque accommodata. Nobis

---

(1) Cfr. praesertim Jolly, *Ein Kapitel vergl. Synt.* — Id. in *Bl. f. d. Gw.* (1873), p. 279 sqq. — Draeger, *Hist. Synt.*, II, 213 sqq. — Riemann-Goelzer p. 397, 418.

(2) *Sintassi latina*[2], p. 401 sq., 433, 442, 445.

contra scriptores isti cum saepius παράταξιν quam vocant adhibeant, tamen ὑπόταξιν potiorem habere videntur, haud dubie populorum Italicorum (1) quoddam studium ad enuntiatum enuntiato subiciendum propensum secuti. Qua quidem ratione et causa cum ipse Plautus, qui quam maxime suae aetatis Romanorum cotidianum sermonem nobis exhibet, ὑποταχτικῶς loquentes saepius comoediarum personas induxit, tum aetatis aureae scriptores tam crebro subjunctivo modo usi sunt, ut posteriores grammatici, qui huius structurae vim non intellegerent, illos hoc ornatus causa tantum fecisse affirmaverint (2). Equidem Romanorum gravitatem et naturam etiam in quotidiano sermone eluxisse puto, qui ita enuntiata concinnarent, ut potioris sententiae vim loco atque auctoritate expressam exhiberent, cum apud Graecos ἡγεμονίαν, quae appellatur, aliae post alias sententiae partes liberius exercerent. Testis est ille *infinitivi modi cum accusativo* usus, qui prorsus Latini sermonis (3) proprius fuit. Qua quidem in re positus est contextus ille verborumque continuatio huius

---

(1) Cfr. v. PLANTA, *Gramm. d. osk. - umb. Dial.*, II, 472 sqq. — CONWAY, *The italic dialects*, II, 507 sqq. — BUCK, *A Grammar osc. a. umbr.*, p. 214 sqq. — Nemo adhuc naturam et vim *subjunctivi modi* in antiquis Italicorum populorum, in primis Latinorum, sermonibus, penitus perspexisse videtur.

(2) Huius modi doctrinam praesertim Diomedes falsis interpretationibus incertisque praeceptis turbavit.

(3) An potius omnium Italicorum sermonum hanc structuram propriam esse dicimus? Cfr. TAB. BANT. 5-6: *deiuatud siom... pertumum* = lat. *iuvet se dimittere;* TAB. IGUV., Va, 25: *sve prusikurent vehte kuvatu eru* = lat. *si decreverint recte curatum esse.*

linguae propria (1), quae pedetemptim et gradatim una cum linguae integritate iudiciique sanitate lapsa sunt. Ut enim ex Graeco (2) sermone priscorum Latinorum scriptorum nonnullas ita ex communibus

(1) Minime igitur Skutschio (*Die lateinische Sprache* in DIE KULTUR D. GEGENWART I, VIII, p. 425) assentiri possumus, cuius verba haec sunt: « Vielleicht wird man jetzt ahnen, dass manche Urteile über die lateinische Sprache Vorurteile nach der einen oder anderen Seite sind, « ausgegangen von Leuten, die der Meinung waren, wer Vergil oder « Tacitus oder die Juristen kenne, kenne das Latcinische. Ein bis zum « Überdruss wiederholtes Schlagwort ist das von der logischen Natur « des Lateins. Jeden Grammatiker mutet es von vornherein sehr alt- « modisch an. W. v. Humboldt und andere nach ihm haben das Vor- « urteil, dass Sprechen und Denken identisch, Satz = Urteil, Wort = « Begriff sei, für immer zerstört; wir wissen seitdem dass Sprechen « (von seiner physiologischen Seite abgesehen) ein rein psychologischer « Prozess ist — in einer Sprache so gut wie in der anderen. Wohl « kann eine Sprache, die scharf ausgeprägte Endungen und in einem « Heer satzregierender Wörtchen wie « weil », « als », « damit » usw. « die Möglichkeit zu künstlich gegliederter Satzfügung besitzt, die « Beziehung der einzelnen Worte aufeinander, die Unter-oder Überord- « nung der einzelnen Gedanken besonders klar ausdrücken; und das « Latein war in diesem Falle, denn die scharf ausgeprägten Endungen « hatte es sich zu einem guten Teil seit der italischen Urzeit bewart, « die satzregierenden Wörtchen allmählich herausgebildet. Nichtsdes- « toweniger konnte man im Lateinischen genau so unlogisch geredet. « Wer das bestreitet, hat nicht nur Ciceros Sprache nie mit scharfen « Augen betrachtet, sondern vergisst vor allem, dass, wer um der lo- « gischen Ausdrucksweise etwa der klassischen Juristen willen von « dem « logischen Latein » redet, ebensogut um Lessings willen von « einer eminent logischen Natur der deutschen Sprache reden dürfte. »

Bene hercle inter se nectuntur et Gallicae sententiae « *je crois qu'il* est *déjà parti* »; et Italicae « *io credo che* sia *già partito* »; et Anglicae « *do you think it* rains *now?* »; et Gallicae « *croyez-vous qu'il* pleuve *maintenant?* »; et Germanicae « *glauben Sie, dass er dies* geschrieben hat »; et Italicae « *crede ch'egli* abbia scritto *questo?* »; et Hispanicae « *si* tuviere *dinero el año que viene, compraré una casa* »; et Gallicae « *l'année prochaine si* j'ai *de l'argent, j'achèterai une maison* »: sed quis negaverit harum sententiarum subtiliorem contextum continuationemque praebere illas, quae subjunctivum modum usurpent (cfr. CURTIUS, *Erläut.* ad §§ 519 sqq.), qui non ut Diomedi videtur (IV, 340 KEIL), dubitationis sed subjunctionis est modus?

(2) Aliquid veri in Brenousii sententia inest (*Étude sur les hellénismes dans la Syntaxe latine*, p. 356.

omnium linguarum mutationibus et conversionibus plurimas paratacticas structuras mediae et infimae latinitatis profectas esse putamus (1). Nonne omnium linguarum, quae ex Latina originem trahunt, Italica, quae illius legitima heres haud dubie est appellanda, una subjunctivas conjunctiones saepius usurpat? Quam ob rem omnino ab Antoine dissentio, qui nunquam subjunctivum modum in latino sermone ad enuntiatum enuntiato subicendum valuisse (2) contendit.

Neque vero de universa re hoc quidem tempore disserere statui, quae longiorem orationem desideraret, sed de *interrogationibus obliquis* tantum paucis disputare. Cum enim procul dubio ὑποτάξεως originem hoc enuntiatorum genus maxime explanet, reliquis in crastinum dilatis, de his statim nobis dicendum esse putamus, non quae universe fuerint apud omnes priscos scriptores Latinos, sed quae proprie apud Plautum sint (3). Ea autem ratione rem pertra-

---

(1) Etiam in hac re bene viderunt Riemannus et Goelzerus, qui mediae et infimae latininatis temporibus certamen quoddam inter subjunctivum et indicativum modum fuisse aiunt (p. 418 sq.: mais il ne faut rien exagérer ni croire que l'indicatif est, en pareil cas — in interrogationibus obliquis —; beaucoup plus fréquent que le sobjonctif chez les écrivains postérieurs. On constate au contraire qu'il y a sur ce point *une sorte de lutte entre l'indicatif et le sobjonctif* et que celui-ci est en somme plus fréquemment employé que l'autre, même dans des écrivains comme saint Jérôme et Grégoire de Tours).

(2) *De la parataxe et de l'hypotaxe dans la langue latine* (*Rev. d. Études anc.* I, 27-46, 213-232, 282-300). Id. *Discussion de quelques passages de Captifs* (Ib. IV, 90 sqq.).

(3) Cfr. E. Becker, *De Syntaxi interr. obliq. apud priscos script. Lat.* in Studem. *St.* I, I, 115-314. — Thulin, *De conjunctivo Plautino* (de hac commentatione latius disseruimus in *Rivista di Filol. class.* XXIX, p. 612-617). — Ch. Durham *(The subjunctive substantive clauses in Plautus)* de interrogationibus obliquis nihil explicat.

ctabimus, ut tota haec disputatio AULULARIAE, cui hoc opusculum adjudicavimus, inhaereat. Quae cum ita sint variam *omnium* interrogationum obliquarum, quae in hac fabula insunt, structuram primum perspiciamus. Ex quibus ut aliquid efficere et cogere possimus, oportet ita omnes distribuere:

*a)* PARATACTICAE imperandi modo adjunctae:

v. 170. *Dic* mihi, quaeso, quis *est* quam uis ducere [uxorem?

212. *Dic* mihi, quali me *arbitrare* genere pro- [gnatum?

720. *Dic* igitur, quis *habet?* nescis?

777. age nunc *loquere quiduis.*

Quibus opponenda est HYPOTACTICA:

800. I intro, *exquaere sitne* ita ut ego praedico (1).

*b)* PARATACTICAE indicativo modo adjunctae:

47. At *scin* quo modo tibi res se *habet?* (= *[Edepol)*

71. *Nescio* pol quae illunc hominem intemperiae *[tenent:*

---

(1) Non hypotacticae habendae sunt (p. 29) illae interrogationes obliquae, quarum SUBJUNCTIVUS *optativus, potentialis, iussivus, dubitativus* est MERC. 386: Paucula etiam sciscitare prius uolo — *Dic* quid *uelis;* BACCH. 745: Loquere porro. — Adscribedum etiam. — *Loquere* quid *scribam.*

Oportet qui legunt moneamus nos e ceteris plautinis fabulis non omnia exempla sed insignia tantum afferre.

peruigilat noctes totas: (= *Edepol illunc h. [int. tenent*)

174. *Scio* quid *dictura's:* hanc esse pauperem (= *[illud hercle tu dictura es: h. e. p.*)

177. *nescio* unde sese homo *recipit* domum (= *[alicunde s. h. r. d.*) (1)

HYPOTACTICAE indicativo modo adjunctae:

v. 29. Is *scit* adulescens quae *sit* quam compresserit

106. sed quid *agam scio*

117. *Rogitant* me, ut *ualeam,* quid *agam,* quid [rerum *geram*

217. Quoniam tu me et ego te qualis *[sis scio*

259. At *scio* quo uos *soleatis* pacto [perplexarier

296. Quid negoti *sit rogas?*

363. Ego *interuisam* quid *faciant* coqui

412. *Scio* quam rem *geram* (2)

551. Quid *sit* me *rogitas?* (3)

673. Nunc hoc ubi *abstrudam cogito* solum locum

679. Indeque *obseruabo* aurum ubi *abstrudat* senex

---

(1) Vv. 706 sq. me conlocaui in arborem:
indeque exspectabam, aurum ubi abstrudebat senex
nullam interrogationem exprimunt.

(2) V. 426. Pol ego haud *scio* quid post *fuat* (paratat.; *coniunc. potent.*)
429 sq. Quid tu, malum, *curas,*
utrum crudum an coctum *edim* (parat.; *coniunc. optat.;* [cfr. *edim.*)

(3) V. 574. *Scio* quam rem *agat* (parat.; *con. potent.*)
620. *perscrutabor* fanum, si *inueniam* (parat.; *con. potent.*)
697. Strobilum *miror* ubi *sit* (parat.; *con. dub.*)

765 sq. nam neque ego aurum neque istaec
[aula quae *siet* (1).
*scio* nec *noui*
773. Neque *scis* † qui *abstulerit*
777 sq. Si me *nouisti* minus (2)
genere quo *sim* gnatus.
826. Abi, ere, *scio* quam rem *geras*.

*c)* PARATACTICAE **subjunctivo modo** adjunctae:
63. Neu persentiscat, aurum ubist absconditum
HYPOTACTICAE **subjunctivo modo** adjunctae:
1. Nequis *miretur* qui *sim*
65. Nunc ibo ut *uisam, sitne* ita aurum ut condidi
542. *meminerint* sese unde oriundi *sient* (3)
605. ut quae *fierent fieret particeps*
715 sq. mi auxilio
Oro obtestor, sitis et hominem *demonstretis*
[quis eam *abstulerit* (4)
762. Nisi quidem tu mihi quid *quaeras dixeris*
802. Ibo intro, ut quid huius uerum *sit sciam*

---

(1) Vv. 729 sq. nunc mi *incertumst*
† quid *agam:* abeam an maneam, an adeam an fugiam:
[quid *agam* edepol *nescio* (parat.; *con. dub.*)
(2) V. 804. Nunc seruom esse ubi *dicam* meum Strobilum non *reperio* (parat.; *con. dub.*)
(3) V. 599. ut quod frons *uelit* oculi *sciant* (parat.; *con. opt.*)
(4) Interrogativum potius enuntiantum hoc esse quam relativum puto.

*d)* PARATACTICAE **infinitivo modo adjunctae:**

780 sq. nunc quid *uis* id uolo
*noscere.*

AMPH. 592. Quo id, malum, pacto *potest* nam — me-
[cum argumentis *puta* — fieri?

POEN. 1131. Sed ubi *sunt* meae gnatae, id scire
*[expeto*

HYPOTACTICAE **infinitivo modo adjunctae:**

16 sq. Coepi *obseruare,* ecqui maiorem filius
mihi honorem *haberet.*

54. Ne me *obseruare* possis quid rerum *geras* (1)

431. Volo *scire, sinas* an non *sinas* nos coquere
[hic cenam?

563. Volo ego ex te *scire* qui *sit* agnus curio

607. Hinc ego et huc et illuc potero quid *agant*
[*arbitrarier*

714. caecus eo atque equidem quo *eam*
[aut ubi *sim* aut qui *sim*
nequeo cum animo certam *inuestigare.*

Ex exemplis a nobis allatis Plautum haud promiscue paratacticam et hypotacticam structuram in his interrogativis enuntiatis adhibuisse satis patet. Sed subjunctiva conjunctione semper usus est, ubicumque

---

(1) Vv. 67 sqq. Necnum mecastor, quid ego ero *dicam* meo
malae rei cuemisse quamue insaniam
quae *comminisci* (parat.; cons. dub.)
74 sqq. Neque iam quo pacto *celem* erilis filiae
probrum, propinqua partitudo quoi appetit,
quae *comminisci* (parat.; cons. *potest.*)

interrogatio arte primae sententiae adhaeret. Quo factum est ut paratacticam structuram adhibuerit

*a)* cum *imperandi modo* (p. 25)

*b)* quotiens prima sententia idem valet ac pronomen vel adverbium aliquod (1)

*c)* cum *subjunctivo* et *infinitivo* modo, cum a prima sententia interrogatio disjuncta est (p. 27).

Quam ob rem in v. 63 AULULARIAE (p. 27) pr. demonstrativum supplendum esse censemus (2), itemque emendandos locos, ut AMPH. 17 (3) et MOSTELL. 199 (4), ubi utraque structura confletur atque in una enunciatione ambo modi, indicativus et subjunctivus, conjuncti sint.

Si igitur rationem subducamus *Aululariae* locorum, qui nobis enuntiata interrogativa paratactica et hypotactica praebeant, multo maiorem horum quam illorum numerum esse reperiamus, etiamsi παράταξιν habere uelimus, quae *conjunctivum potentialem, dubitativum, optativum* nobis ostentet, quaeque potius medium aliquid inter duas structuras habenda sit. Quod etiam

---

(1) CIC. *Tusc.* I, 11. 24: Sed *nescio* quomodo, dum lego, *assentior*, quom posui librum, assensio omnis *labitur*. — III, 6. 12: Minime assentior iis qui istam *nescio* quam indolentiam *laudant*.

(2) PSEUD. 598 sq.: nimis uelim certum quid mihi *faciat*
Ballio leno ubi hic *habitat* (BD: qui id mihi, *corr.* C).

(3) Nunc quoius iussu uenio et quam ob rem uenerim dicam (*libri*; huc missus sum BECKERIUS, *Stud. St.* p. 311).

(4) *Vides* quae *sim*; et quae *fui* ante
nihilo ego quam nunc tu ******* (LINDSAYUS: atqui fui ante!)

Haec enuntiata non confundenda sunt cum illis, quae cum *indicativo* modo *conjunctivum paratacticum* habeant: CIST. 56 sq. *eloquere*... quid *tibist* et quid *uelis*. Nisi forte his omnibus Plautus Graecam structuram (« ἐπυνθάνετο ὁπόσην χώραν διήλασαν καὶ εἰ οἰκοῖτο ἡ χώρα » Sen. Cyr. IV, 4. 4) imitatus est.

ceteris plautinis fabulis confirmatur, si quidem diligenter nos rationem confecimus (1). Quibus argumentis iter moliti esse videmur ad firmiorem doctrinam de SUBJUNCTIVA CONJUNCTIONE et apud priscos scriptores et in vulgari Latinorum sermone, quod vero mox nos facturos esse depollicemur atque confirmamus. Tum quidem patebit quantum semper Latini discrimen servaverint inter paratacticam et hypotacticam structuram.

---

(1) Horum enuntiatorum hypotacticam structuram apud Plautum novem fere partes praebere repperimus.

FINIS.

NOV 28 ...3